

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

### I. Übersetzung

1      Cum in. eo magnus error esset, quale esset optimum dicendi  
2      genus, putavi mihi suscipiendum laborem utilem studiosis,  
3      mihi quidem ipsi non necessarium. converti enim ex Atticis  
4      duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter seque  
5      contrarias, Aeschini et Demostheni; nec converti ut interpres,  
6      sed ut orator, senentiis isdem et earum formis et tamquam  
7      figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis. in quibus  
8      non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omne  
9      verborum vimque servavi. non enim ea me adnumerare lectori  
10     putavi oportere, sed tamquam appendere. hic labor meus hoc  
11     adsequetur, ut nostri homines, quid ab illis exigant qui se  
12     Atticos volunt, et ad quam eos quasi formulam dicendi revocent,  
13     intellegant. ‘Sed exorietur Thucydides; eius enim quidam  
14     eloquentiam admirantur.’ Id quidem recte; sed nihil ad eum  
15     oratorem, quem quaerimus. aliud est enim explicare res gestas  
16     narrando, aliud argumentando criminari crimenve dissolvere;  
17     aliud narrantem tenere auditorem, aliud concitare. ‘At loqui-  
18     tur pulchre.’ Num melius quam Plato? necesse est oratori  
19     quem quaerimus controversias explicare forensis dicendi  
20     genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permovendum.  
21     qua re si quis erit, qui se Thucydideo genere causas in foro  
22     dicturum esse profiteatur, is abhorrebit etiam a suspicione  
23     eius, quod versatur in re civili et forensi; sin Thucydidem  
24     laudabit, ascribat suae nostram sententiam. quin ipsum Iso-  
25     cratem, quem divinus auctor Plato suum fere aequalem admirabili-  
26     ter in Phaedro laudari fecit a Socrate quemque omnes docti  
27     summum oratorem esse dixerunt, tamen hunc in numerum non  
28     repono. non enim in acie versatur nec ferro, sed quasi rudibus  
29     eius eludit oratio. a me autem, ut cum maximis minima conferam,  
30     gladiatorum par nobilissimum inducitur, Aeschines cum Demo-  
31     sthene, tamquam Aeserninus, ut ait Lucilius, non spurcus homo,  
32     sed acer et doctus, cum Pacideiano componitur, optimo longe post  
33     homines natos. nihil enim illo oratore arbitror cogitari posse  
34     divinius.

35 Huic labori nostro duo genera reprehensionum opponuntur. unum  
36 hoc: 'Verum melius Graeci.' A quo quaeratur, ecquid possint  
37 ipsi melius Latine. alterum: 'Quid istas potius legam quam  
38 Graecas?' Idem non minus Terentium et Caecilium quam Menandrum  
39 legunt. quod igitur est eorum in orationibus e Graeco conversis  
40 fastidium, nullum cum sit in versibus?

## II. Sprachliche Erläuterungen

1. In welchem Casus stehen die Worte **Aeschini** und **Demostheni** (Z.5)?
2. Welches Bild liegt den Verben **adnumerare** und **appendere** (Z.9/10) zugrunde?
3. Welches Verbum ergänzen Sie zu **Verum melius Graeci** (Z.36)?
4. Wer ist mit **a quo** (Z.36) gemeint? Wer ist mit **idem** (Z.38) gemeint?
5. Wer ist mit **ipsi** (Z.37) gemeint?
6. Welches ist das Beziehungswort zu **istas** (Z.37)?